





EPISTOLA CONSOLATORIA

EX

DIVINITUS INSPIRATIS SCRIPTORIS

operâ

*Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini*

PETRI PAULI AARON

*de Bistra,*

EPISCOPI FAGARASIENSIS

ad tempus tribulationum per sui gre-  
gis utilitatē collecta, & adaptata,


cumquē Eiusdem

BENEDICTIONE

Valachico nuper vulgata, nunc rur-  
sus Latino idiomate Typis edita



BALÁSFALVÆ AÐ MDCCLXI.



per Joannicium Endrédi Diaconum.

522,409

M. ACADEMIA'  
KÖNYVTÁRA

G. TELEKIEK'  
ALAPÍTVÁNYA

EXCELLENTISSIMO,

ET

*ILLUSTRISSIMO*

DOMINO, DOMINO

A D O L P H O

NICOLAO

L. B. DE BUCCOW,

Domino Bonorum Medzefvitz, Har-  
bultovitz, Lontzka, superioris, &  
inferioris Bogorsch, suæ Cæsareo-Re-  
giæ Apostolicæ Majestatis Equita-  
tûs GENERALI, Proprietario, & Tri-  
buno unius Cataphractorum Legi-  
onis, Supremo per Principatum  
TRANSYLVANIÆ Armorum Præfeto,  
nec non ordinatæ in eodem Prin-  
cipatu Cæsareo-Regiæ Commissio-  
nis Aulicæ PRÆSIDI,

&c. &c.

D. D. D.

EXCELLENTISSIME,

AG

ILLUSTRIS-  
SIME  
DOMINE, DOMINE!

**Q**Uæ vidimus, & audivimus,  
PATRONE EXCELLEN-  
TIS-  
SIME! perspicuum nobis planè  
perhibent testimonium, ne anxii am-  
plius perquiramus: TU es, qui ven-  
turus es, an aliam expectamus? \*  
Vidimus quippe gloriosum potenti Re-  
giâ fulcitum dexterâ in hujus Provin-  
ciæ Metropolim TUUM Ingressum;  
ipso scilicet Beata Virginis ab Angelo  
nunciata (stylo quidem veteri) die,  
quo nempe Archangelus Gabriel ad  
Virginem missus futuram Ecclesiæ pa-  
cem annuntiavit: Indè mox per publi-  
cas

\* Lucæ 7.19.20.

cas Tabellas TE omnibus pacem an-  
nunciantem audivimus. Vidimus insu-  
per eodem die, quo isthac Ecclesia Fi-  
lio Tonitruui sacratum agit diem, sub  
Fulguris, Tonitruiquè figuris TE Sa-  
lisburgij pacis auspiciari symbola: mox  
TE Victore Ecclesiam pacis initia ca-  
pere audivimus; ideòquè etiam TE  
NICOLAUM id est Victorem dignè  
cognominari meritò arbitramur. Et  
hac quidem nobis firmo sunt argumen-  
to, quòd per TE pacis Ministrum, diffi-  
cultates, ob quas Regia ille virtutes,  
Clementia nempe, & Justitia, suum  
hic in hac gente sortiri nequibant ef-  
fectum, penitus auferentur, illudquè  
Regii Vatis verificabitur prædictum:  
misericordia, & veritas obviaverunt  
sibi, justitia, & pax osculatae sunt.\*  
Et quoniam pace jam annunciata pa-

*eis, id est UNIONIS Ecclesiasticae alu-  
mni conscribuntur, scientes scriptum  
esse: gaudete autem, quòd nomina  
vestra scripta sunt in Cœlis, \* ne  
tanti gaudii exortes inveniamur, nos  
quoque hinc cum Sancta ROMA-  
NA Ecclesia UNIONEM profitenti-  
um albo inserta TIBI ADOLPHO  
NICOLÃO cognominato Victori, pa-  
cis Angelo nostra exhibemus nomina:  
opusquè, quod nuper noster Præsul  
pro interna animarum sibi creditarum  
pace vulgari sermone ediderat, nunc  
Latinitate donatum in contestationem  
perpetuæ nostræ cum Sancta ROMA-  
NA Ecclesia UNIONIS, nostræquè ad-  
versum TE clientalis observantia pi-  
gnus, TIBI damus, dicamus, & offe-  
rimus.*

*Clientes infimi*

*Scholastici Balásfalvenses.*

\* Lucæ 10. 20.



PETRUS PAULUS AARON

DE BISZTRA, DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ per Principatum Transylvaniæ, Eidemquè Partes annexas  
EPISCOPUS FAGARASIENSIS &c. &c.

*Vobis, Charissimi Fratres, dilectissimi in Christo Filii, gratia, misericordia, & pax à DEO Patre, & Domino Nostro JESU Christo, VERAquè CONSOLATIO, ac Benedictio.*

**P**ersvasi equidem sumus, FRATRES in Christo, Filiique dilectissimi, quòd si in omni aliàs tentatione, tum vel maximè hoc dum à DEO visitamur tempore, omnes, & singuli Ecclesiæ hujus nostræ

A

Filii

Filii, illud secum identidem repentes Theotochion: *unusquisque ubi salutem invenit, eò etiam verè confugit; a* ejusmodi securum refugium, veramquè consolationem vehementiùs intendant, assiduèquè mente revolvant. Hæc porrò consolatio omnibus, quorum mens sana est, vel ipso solo rationis lumine dignoscitur: nobis autem veræ etiam Fidei lumine formatis, ii quoque annunciant, qui plurima passi sunt, Regium dico Prophetam, & gentium Apostolum, Ille dum ait: *Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo: b* *adjutor in tribulationibus, qua invenerunt nos nimis; c* hic verò, cum

a *Theotoch. ton. 3.* b *Psalm. 117. 6.*

c *Psalm. 45. 2.*

cùm dicit: *DEUS* totius *Consolationis*, per *christum* abundat *consolatio* nostra: a in ipso vivimus, & movemur, & sumus. b Ab eo igitur est *adjutorium* nostrum, qui fecit *Cælum*, & *terram*. c

Verumtamen, quoniam plures vestrùm hoc tempore ex diversis partibus, quidam in persona, aliù per literas nos requirentes; non semel desiderabant, immò quasi assiduè exposcebant, ut in suis tribulationibus aliquod invenirent refugium, veramquè sibi adesse sentirent quampiam consolationem: ideò cùm ad hoc DEI miseratione veluti ejusdem Mysteriorum, licet immerentes dispensatores mis-

A 2

fi

a 2. *Corinth.* 1. 3. 5. b *Actor.* 17. 28.  
c *Psalms.* 123. 8.

si finus, ut consolemur omnes lu-  
gentes; & Pastoralis nos sollicitudo  
urget: ut quæ divinitus inspirata  
doctrina tradit, pro hac quoque ve-  
stra indigentia in vestrum solatium  
afferamus, quo per Scripturarum  
consolationem spem habeatis. *b*

Magnus Parens noster BASI-  
LIUS in suis Monasticis Constitu-  
tionibus scribit; quòd divinum præ-  
sidium ad nos nullo nostro studio  
venturum putandum non sit: *sed*  
*ad perfectum virtutis cumululum con-*  
*juncta simul esse utraque hac oportet,*  
*& humanum studium, & auxili-*  
*um Cœlestis Fidei operâ ascitum, &*  
*comparatum. c* & alibi: *qui à DEO*  
*se optat juvari: is nunquam deserit,*  
*quod*

*a* 1. Cor. 4. 1. *Isaie* 61. 2. *b* Rom.  
15. 4. *c* *Constit. Mon.* 16.

*quod se addecet, officium nempe situm, qui autem hoc facit, is divino auxilio nunquam destituitur. a*

Quocircà volentes Charissimi, & sperantes divinum auxilium, veramquè illam consolationem, ea, quæ debemus, primùm nos facere oportet, hæc verò tunc perficiemus, dum

Primò mundi corde fuerimus, id est, ut idem Magnus BASILIUS docet: si nos ipsos non reprehenderit, quòd DEI mandatum aut spreverimus, aut plenè executi non simus, aut neglexerimus: *b* si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM; *c* quòd si verò mundi corde non fuerimus, in tribulationibus

A 3

bus

*a* *Constit. Mon. 2.* *b* *Reg. br. 280.*

*c* *1. Joan. 3. 21.*

bus non audiemur, dicit enim Dominus immundis corde: *cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plene sunt.* Idcirco subjungit: *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* a

Secundò si virtutum opera, seu justitiam DEI operati fuerimus; sic enim DEUS habitabit nobiscum in loco isto: b & erit Dominus nobiscum in bonis: c & erit nobis DEUS, & nos erimus illi populus... ut benè sit nobis: d nec nos derelinquet, e sed & in hoc saeculo

a *Isaie 1. 15. 16.* b *Jeremie 7. 3.*

c *2. Paral. 19. 11.* d *Jerem. 7. 23.*

e *Psalum. 36. 25.*

sæculo per bona opera *venient* su-  
 per nos *universæ benedictiones*: *a*  
 & in altero per eadem vitam æter-  
 nam possidebimus: *b* *nōrunt enim*  
*bona opera* etiam hīc *facientes se*  
*cohonestare*: *c* & nunc quoque  
 homini, *suavitatem bonorum aternorū*  
*prænuunciant*. *d*

Eapropter, Charissimi, siqui-  
 dem DEO complacuit nos hoc  
 tempore variis visitare tribulatio-  
 nibus, & veritatis adversarium in  
 nos dimittere, ut per multos, vari-  
 aquè sua instrumenta, & nonnul-  
 los sub specie veritatis divulgatos  
 libellos Fidem nostram tentaret,

A 4

eujus

*a Deut. 28. 2. Lev. 26. b Luca 10.*  
*28. c in Meneis Dominica ante*  
*Nativitatem Ode 6. d in Triodia*  
*Feria 3. Hebdomada 2. Ode 2.*

eujus causa multum nobiscum luctatur, quomodo videlicet ammissa Fide à Domino deficiamus, disuniamur, & planè abalienemur; nos, qui veram à DEO consolationem, & auxilium cupimus, & expectamus, satagere Fratres Charissimi, omni debemus vigilantia: ne quoquo modo *diabolus*, qui *tantumquam leo rugiens circuit, quarens quem devoret*, *a* renitentia mentis nos decipiat, *b* & seducat nos *sicut Hevam, astutia sua, & corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate*: *c* taliterquè vana meditantes, *d* & peccatis obnoxii

*a* 1. Petr. 5. 8. Ps. 9. 9. *b* in Comuni de Digno Martyre Ode 7. *c* 2. Corinth. 11. 3. *d* in Octoichio Feria 2. ton. 3. ad Sztichovnas.

noxii, dum scilicet ad vanas hujus  
 sæculi seductiones respicimus; desi-  
 derata illa, diuquè sperata consola-  
 tione, ac Cœlesti gratia indigni in-  
 veniamur: *qui enim custodiunt vanita-  
 tes frustra, misericordiam suam dere-  
 linquunt.* *a*

In omnibus itaque Fratres, o-  
 portet nos, mundam semper, & im-  
 maculatam animæ nostræ coram  
 Domino habere conscientiam: &  
 hoc præcipuè periculoso visitationis  
 tempore justi Job exemplum inces-  
 santer præ oculis habeamus, quem-  
 admodum etiam nobis idipsum præ-  
 cipitur, *b* qui *in omnibus*, quæ pas-  
 sus est, *non peccavit labiis suis, neque  
 stultum quid contra DEUM locutus  
 est:* *c* & idcirco hîc quidem du-  
 plum

*a* *Jon.* 2. 9. *b* *Jac.* 5. 10. 11. *c* *Job.* 1. 21.

plum recepit; & in Cœlo æternis  
perfruitur deliciis.

Ne porrò in diaboli tentatio-  
nes inducamur, & ut nostras ani-  
mas finè macula coram DEO cu-  
stodiamus; quinque nobis attentè  
us animadvertenda veniunt, per  
quæ nos diabolus seducere labo-  
rat. Primum est: Fides, propter  
quam tribulamur. Secundum: à  
quo proficiscuntur nobis tribulatio-  
nes. Tertium: per quos mini-  
stros eadem nobis inferuntur.  
Quartum: majores Potestates, quo-  
rum ministerio divinum præstolamur  
auxilium. Demùm nobis ipsis atten-  
dimus, quomodo nempe, ne in tri-  
bulationibus succumbamus, nos ge-  
rere debeamus.

**P**Rimò itaque & ante omnia o-  
portet

portet nos in Fide non facile mutabiles, sed semper stabiles, & in ea planè persuasos perseverare: & quidem Punctum professionis sacrae cum ROMANA Ecclesia *UNIONIS* corde credamus, ore confiteamur, *a* & opere ipso semper & ubique ostendamus. *b* Hæc namque Fidei *UNIO* est, quam DEUS per Vas electionis præcepit, dicens: *solliti servare UNITATEM spiritûs in vinculo pacis.* & rursùm: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ... donec occurramus omnes in UNITATEM Fidei.* *c*

Hæc est pro qua DEO dilecti Martyres sanguinem suum funden-

A 6

tes

*a Rom. 10. 10. b Jac. 2. 18. c Eph. 4. 3. 11.*

tes plenariè ab eodem coronas receperunt, quemadmodùm de ipsis S. canit Ecclesia, dicens: *in UNIONE Fidei celebremus spiritualiter totius orbis solemnitatem eorum, qui complacuerunt DEO à sæculo. Gaudete Cætus Martyrum, qui è finibus orbis in Fidei UNITATE congregati, propter ipsam cruciatus, & afflictiones pertulistis, & pro perpeffis plenè recepistis coronas.* a

Hanc Fidei UNIONEM Magni quoque, & Apostolis coæquales illi nostri Patres BASILIUS Magnus, GREGORIUS Theologus, & JOANNES Chrysoftomus  
orbi

a *Ità Dominica omnium Sanctorum ad Litie: & ibidem in Synaxario, in Pentecostariis Rimnikii, & Bukurestini Typis editis.*

orbi prædicaverunt, utque pro eadem indefinenter DEUM deprece-  
mur constituerunt: quemadmodum  
eorundem preces perhibent Ly-  
turgicæ, Synaxarion, & in aliis Ec-  
clesiæ legitur libris.

Hanc Fidei *UNIONEM* velut  
hæreditatem quamdam, *a.* & spi-  
ritualem *thesaurum in vasis ficti-*  
*libus b* cum Ecclesia ROMANA sem-  
per Orthodoxi veri Ecclesiæ filii  
custodiverunt. Posteaquam enim vi-  
sum est summo Pastori Christo JE-  
SU, suum in terris Vicarium, *Ca-*  
*put Apostolorum*, majorem Eccle-  
*sia*, primumquè in *Cathedra* præ-  
ficere; *c.* & per verba: *Pasce*  
*oves meas, pasce electos meos, d*

A 7

consti-

*a in Sacris Lyturgiis. b 2. Cor. 4. 7.*

*c in Meneis 29. Junii Ode 1. d Jo. 21.*

constituere eum *super oves suas supremum Pastorem*, a & Directorem *Ecclesie totius orbis*. b Ad supremam hanc potestatem idcirco eum Christus Dominus sublimavit, ut tanquam summus Pastor, omnes gentes ad Fidei *UNIONEM* adducere studeret, quemadmodum ipsemet in Concilio Apostolorum perhibet, dicens: *Viri Fratres! vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere*. c Similia de ipso perhibet Ecclesia dicens: *Dominus te Pastorem maximum rationabilium ovium constituit, unde & reserato-*  
rem

a in *Photagogico Resurrectionis* 11.

b S. Chrysoft. in *Margarite Serm.* 28.

c *Act.* 15.7.

*rem Cœlestium Portarum te ordinavit, ut omnibus iis aperias, qui in Fide accedunt. a*

Stabilita semel, quam hinc diximus divina ordinatione, Petrus, ut Pastor maximus, Fidei *UNIONEM* annunciabat Ecclesiis, & tanquam præelectus *univit* Græcos cum Judæis in *UNIONE* Fidei nihil discernens inter hos & illos. *b* Similiter & aliis Fidei *UNIONEM* prædicavit, præcipuè verò *ROMANIS*, ubi & suam stabilivit Cathedram, quemadmodum in Vita Sanctorum, *c* & in Mæneis Rimnikii editis *d* legitur: *Tu Fundamentum Apostolorum . . . ROMÆ reliquarum Urbium maxime*

*a in Mæneis 29. Junii ad Laudes.*

*b Act. 15. 7. 9. c 24. Novembris.*

*d 30. Junii ad Laudes.*

*Tu fuisti primus Episcopus, & gloria, & laus, & Ecclesiae fortitudo Petre! & porta inferi non praevalent adversus eam, sicut Christus praedixerat*

De hac Fidei per orbem diffusionem & D. Paulus ad ROMANOS scribens ait: *primum quidem gratias ago DEO meo per JESUM Christum pro omnibus vobis: quia Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* a Similia de D. Petro canit Ecclesia his verbis: *Fidem Christi confirmasti, & infideles bonam Fidem docuisti, tanquam Apostolorum Princeps, & immobile Fundamentum Dogmatum.* b Et rursùm: *Legislator, Pastor, & Doctor gregum Christi, Petre glori-*  
ose

a Rom. 1. 8. b in Maneis 16. Januarii Ode 3.

*ose!* a Et amplius, nunc quoq;  
Ecclesia eandem à D. Petro fide-  
bus *UNIONEM* impertiri petit di-  
cens: *Seda gloriose adversariorum*  
*molimina, & dissipa scandala, Eccle-*  
*sia UNIONEM dando.* b

Ex hìc adductis testimoniis lu-  
culenter ostenditur, quòd Christus  
Dominus inter Apostolos Petrum  
constituerit, Principem, supremum  
Pastorem, seu directorem, ut cun-  
cti ex universo orbe ab ipso tan-  
quam ab uno Principe Fidei au-  
diant *UNIONEM*. Hunc Ecclesiæ  
Principatum, Fideiquè petram se-  
cundùm divinum consilium S. Pe-  
trus Romæ constituit, & stabilivit, c  
at

a in *Meneis* 16. *Januarii* Ode 8.

b *ibidem* Ode 5. c S. Leo *Ser-*  
*mone* 1. de *SS. Petro, & Paulo.*

ut Evangelium & Fides à ROMA, quasi à CAPITATE, & arce imperii citissimè per totum orbem diffunderetur, & diffusa conservaretur.

Hinc quemadmodum primùm D. Petrus, ità ejus in Sede Successores ROMANI PONTIFICES hanc UNIONEM, quam Ecclesia à DEO tam instanter deprecatur, deinceps quoque DEI Ecclesiis annunciaverunt, uti de S. Sylvestro legimus, dicentes: *Cathedram Principis Apostolorum ditando præclarus DEI servus apparuisti, exornando, confirmando, amplificando divinis Dogmatibus Ecclesiam, & proffligando adversariorum hæreses Sylvester! a*

Similiter de cæteris D. Petri Successo-

a in *Maneis Rinnikii* 1737. editis  
2. *Januarii in Ikoſ.*

Successoribus Conciliorum acta referunt, ut ex Antiocheni primi in causa Pauli Samosatani. *a* & ex Carthaginensis actis in causa dissensionū Alexandrinæ cum ROMANA Ecclesia videre est: quod etiam censuit ROMANUM PONTIFICEM requirendum esse: ut utrasquē *sibi invicem uniret, & pacificaret Ecclesias*, *b* Idipsum ex actis Oecumenicorum Conciliorum eruitur, quibus dum ROMANI PONTIFICES in persona præfidere non poterant, ut in iisdem, veluti eorum Prædecessor Petrus Leges edicerent, posteaquam motas tunc quaestiones Spiritu S. inspirati decidebant, suos Legatos cum Epistolis Fidei Dogmata continentibus eò

exmitte-

*a in Praxila pagina 478. b in Praxila Conc. Carth. can. 99.*

exmittebant: sic in actis Concilii Chalcedonensis legitur: quòd Beati illi Patres Epistolam S. Leonis ROMANI PONTIFICIS *recipientes, ve- luti Scriptum, ore DEI dictatum crediderunt, columnamquè Ortho- doxæ Fidei apellantes, in ipsa con- quieverunt, & audacter adversum hereticos decertaverunt, eorumquè multiplicem arrogantiam deposue- runt.* ità in Vita Sanctorum, & in Pravila: & similiter in Mæneis, ubi ejusdem Chalcedonensis, & reliquo- rum quinque Conciliorum Oecume- nicorum fit mentio, de Patribus Chal- cedonensis Concilii legitur: *Leges Spiritûs meditantés, Leges Paternas, ROMA ad nos missas recepistis Sapi- entes*

a in Vita Sanctor. in Moldavia Typis edita 18. Febr. & in Prav. pag. 514.

*entes. a & rursùm: Donum DEI  
Scripturas ROMA missas reputantes  
Sapientes Doctores, super illas tur-  
rim vera Fidei firmaverunt. b*

Ex quibus evidenter arguitur id,  
quod etiam S. Theodorus Studites  
docet, c quòd olim & ab initio Pa-  
terna Traditione transmissus mos fu-  
erit, ut si quod dubium, controver-  
siaquè quæpiam inter Episcopos,  
immò & Patriarchas mota fuerit, Ori-  
entales à vetere ROMA Leges, decla-  
rationem, Fideiquè certitudinem  
susciperent. Et si quis honore tunc  
exuebatur, ac Sede privabatur, RO-  
MAM veluti ad supremum Judicem  
recurrebat: quibus in casibus parti-  
bus

*a in Maneis Rimmik. 16. Julii Ode 4.*

*b ibidem Ode 5. c S. Theodorus  
libr. 2. Epist. 86. & 129.*

bus exauditis ROMANUS iusta decernens innocentes restituebat, reos autem deponebat, ut Conciliorum indicant acta. *a*

Ex hinc superiùs positis facile quivis dignoscere potest, quòd non sinè gravi causa Orthodoxi Præfules, & secundum Oecumenicum Concilium ROMANUM primum esse, & in primo honore habendum agnoscant, *b* ac Restorem omnium verarum Apostolicarum Ecclesiarum confiteantur, *c* inter quos etiam TRANSYLVANIÆ EPISCOPUS numeratur. *d* (quorum hierarchicus Ordo in appendice ad finem hujus Opusculi apponitur) Et

*a* in Pravila Conc. Sard. can. 4.

Carthag. canon. 1. *b* in Prav. Conc. 2.

can. 3. *c* in Prav. cap. 395. *d* ibidem

cap. 391. pag. 402.

Et hæc quidem ex divina institutione Paterna traditione sic observata fuisse creduntur, juxta Dominicam nempe promissionem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, a* quod agnoscens Ecclesia hæc canendo confitetur: *vobiscum infallibiliter te appromisisti futurum usque ad consummationem sæculi, Christe ! b* & usque in præsens Patriarchæ, & Præsules Orientales Oratione absolutoria, quam super defunctos legere cõsueverunt, divinam ejusmodi Ordinationem, supremam scilicet Pastoralis jurisdictionem per S. Petrum reliquis per orbem Episcopis imperitari confitentur legentes: *qui dedisti hanc potestatem Principi Apostolorum*

a *Math. 28. 20. b in Offic. Pasch. Ode 9.*

*lorum Petro, & PER IPSUM nobis quoque peccatoribus, eandem tradidisti potestatem.* Hoc in Græcis, Illiricis, immò & Valachicis antiquioris editionis Euchologiis legitur, quem nihilominus textum, sicut & alios plures nonnulli prædictæ veritatis inimici, animo scilicet pervertendi divinam Ordinationem, & D. Petro traditam principalem illam Potestatem imminuendi in recentioribus editionibus corruperunt: ne videlicet eandem Potestatem de ejus quoque in Cathedra Successoribus confiteri cogantur, quam ut vidimus usque in præsens ROMANI PONTIFICES tenent, extra quos nemo alius uspiam sese D. Petri in Cathedra Successorem ausus est nominare,

Hujus

Hujus divinæ Ordinationis perpetuitas rectè & ex eo colligitur, quòd, quemadmodum dum Dominus convocans duodecim discipulos, *dedit illis potestatem spirituum immundorum*, a illis verbis eandem credimus Successoribus quoque traditam fuisse potestatem : sicut de SS. Cyro, & Joanne Martyribus confitetur Ecclesia dicens : *vobis namque dixit Dominus tanquam Apostolorum Successoribus ecce do vobis potestatem spirituum immundorum, ut ejiciatis illos* b Similiter, & potiori jure dum Petro præsentibus undecim dixit : *pasce oves meas*, credere debeamus illis verbis Successoribus quoque Petri eandem traditam esse potesta-

B tem

a *Math. 10. 1.* b *in Maneis* 1. *Novembris ad Laudes.*

tem : similia namque de Sylvestro ,  
 cæterisque ROMANIS PONTIFICIBUS Ec-  
 clesiam retulisse superius vidimus ;  
 & hoc sensu verbum Domini in  
 æternum manere intelligitur. Alio-  
 quin si divina ordinatio circa Supre-  
 mum Pastorem corrueret : quî pu-  
 tatis in inferioribus aliquam posse  
 consistere potestatem : dum secun-  
 dum naturæ ordinem, *inferior à Su-  
 periore jurisdictionis recipit benedictio-  
 nem.* a

Hic proindè circà S. Petrum ,  
 ejusquè in Cathedra Successores Ro-  
 MANOS PONTIFICES declaratam divinam  
 ordinationem, paternamquè traditi-  
 onem velutì spirituales quemdam  
 thesaurum, Dilectissimi, firmiter cu-  
 stodite , ab hac nulla vos separet  
 creatura

*in Maneis 2. Jan. ad Compl. Ode 8*

creatura, illud cum Apostolo, quoad  
 vivetis tenentes, ac dicentes: cer-  
 tus sum, quia neque mors, neque vita,  
 neque angelus, neque principatus, ne-  
 que virtutes, neque instantia, neque  
 futura, neque fortitudo, neque altitu-  
 do, neque profundum, neque creatura  
 alia poterit nos separare à charitate  
 DEI, quæ est in Christo JESU Domi-  
 no nostro. a

Nec etiam prophetis, huic ve-  
 ritati contrarium annunciantibus cre-  
 dite, scriptum est enim: non audi-  
 es verba propheta illius, aut somniato-  
 ris: quia tentat vos Dominus DEUS  
 vester, ut palam fiat utrum diligatis  
 eum, an non, in toto corde, & in tota  
 anima vestra, b exurgent enim pseu-  
 do-christi, & pseudo-propheta, dicit  
 Dominus. c

B 2

Sed

a Rom. 8. 38. b Deut. 13. 3. c Mar. 13. 22.

Sed nec Apostolis, immò nec  
 ipsis adeò Angelis adversùs ea, quæ  
 semel divinitùs inspirati DEI ho-  
 mines locuti sunt, credendum est,  
 dicente Apostolo : *licet nos, aut an-  
 gelus de cælo evangelizet vobis, præ-  
 terquam quod evangelizavimus vobis,  
 anathema sit. a*

Et quandoquidem multi ex O-  
 rientalibus Patriarchis magnorum in  
 Fide errorum rei sunt inventi, ut  
 Conciliorum, Antiochiæ, Constan-  
 tinopoli, Ephesini, Chalcedone, &  
 alibi celebratorum perhibent acta ;  
 ideò nec Patriarchæ, qui sub vin-  
 culo etiam excommunicationis quid-  
 piam contra sanam doctrinam scri-  
 beret, vel mandaret, debetis cre-  
 dere, nec ei morem gerere, aut  
 ejus

ejus excommunicationem metuere;  
quod & Pravila docet. *a*

Hic dicta, Dilectissimi, atten-  
tiùs animadvertenda sunt: nam si  
sub anathematis maledicto, nec Patri-  
archis, nec Propheris, nec Apосто-  
lis, immò nec ipsis Angelis, contra  
semel à nobis acceptam divinitùs  
inspiratarum Scripturarum notitiam  
credere licet: *DEO enim magis obe-*  
*dire oportet, quàm hominibus, b* quia  
*non est servus major domino suo, neque*  
*apostolus major est eo, qui misit il-*  
*lum; c* quomodo non illi se mayo-  
ris damnationis reos efficiunt, qui  
ad unius, alteriusvè seductoris ver-  
bum confestim divinum per Scri-  
pturam traditum deserunt verbum,

B 3

suamquè

*a Cap. 363. §. 9. b Actor. 5. 29.*

*c Joannis 13. 16.*

tiamquè divinam cum humana illi-  
cò permutant Fidem!

Propterea, Charissimi, quicum-  
que five cum suo antesignano Pho-  
tio, five cum ejus discipulis, cum  
Maximo Peloponesano, cum quo-  
dam Nilo, annò proximè lapsò Ri-  
mikii in Valachia Valachis Typis  
vulgato, seu cum aliis ejusdem ge-  
neris, horum sequacibus, qualescun-  
que vobis ad seducendum compo-  
sitas adversum isthanc cum ROMA-  
NA Ecclesia *UNIONEM* proponeret  
ad inventiones; hoc ut certum te-  
nendum est, quòd ante hos nec Apo-  
stolorum, nec Sanctorum Patrum  
quisquam talia scripserit, docuerit-  
vè; nec ullus uspiam Sanctorum  
hanc cum ROMANA Ecclesia nega-  
verit *UNIONEM*; nec ante Photium  
ullus

ullus legitur, sese non-unitum nominasse: qui enim tunc non-uniti habebantur, ii quemadmodum & nunc erant extra Ecclesiam, hæretici videlicet, aut schismatici. Quibuscunque proinde ab ipsis per calumniam in contrarium objectis, vera nihilominus sunt, veraquè semper manent ea omnia, quæ ex divinitus inspiratis Scripturis, Legis scilicet nostræ libris: hinc superius à nobis adducta, & proposita sunt: *maledictus autem omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut facias ea: a quicumquè autem totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: b* illaquè, quæ per scriptum tradita sunt, *Sermo,*  
 B 4 scilicet  
 à *Galath. 3. 10.* b *Jacob. 2. 10.*

scilicet Domini, *ille judicabit eum in novissimo die.* a Quare nos quoque Sanctorum, totiusquè Christianitatis Regulam, TRADITIONEM scilicet, & mandata Sanctorum Patrum custodientes damnamus omnes, quæ contra Sanctorum Doctrinam eriguntur novitates; & sicut prædiximus, & nunc iterùm cum Apostolo dicimus: *siquis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit.* b Quoniam porrò hanc sacram cum ROMANA Ecclesia UNIONEM ab ipso Ecclesiæ exordio omnia Sacra Concilia, & omnes ubique Sancti Patres tanquam divinum quoddam *depositum* firmiter custodiverant, c & confessi sunt, quemadmodùm & historiae, & ipsæ Conciliorum

a Joñ. 12. 48. b Gal 1. 9. c 1. Tim. 6. 20.

ciliorum in Pravila Icones perhibent; immò & selectior Ecclesiæ populus eandem cum ROMANA Ecclesia *UNIONEM* à principio, usque in præsens tanquam Fidei Dogma sinè interruptione tenuit: & tametsi ab octavo circiter sæculo Constantinopoli primùm Photius deturbato S. Ignatio, ejusquè Patriarchali Sede temerè occupata *a* (quemadmodùm ejus imitatores nunc quoque legitimos Pastores de suis deiciendo Ecclesiis, eorumquè ovine violenter invadendo facere conspiciuntur) & post eum alii etiam irregulares Orientales, qui sese nempe orthodoxos ostentabant, Ecclesiastici, huic Sacræ cum ROMANA Ecclesia *UNIONI* repugnaverint; at-

B 5

tamen

*a in Vita Sanctorum 23. Octobris.*

tamen nec Concilium aliquod, nec ex Sanctis Patribus legitur ullus, qui huic Sacrae *UNIONI* adversatus fuisset, vel eam hæresim aliquam redolere sensisset; nemo ejus authorem, locum, & tempus, quo illa post Christum initia sua posuisset, designavit: quemadmodum omnium hæreseon authores, locus, & tempus, quibus ebulliverunt, consignantur, ut docet S. Vincentius *a* idem in Pravila referunt Conciliorum acta, & in Synodi sextæ historia videre est. *b* cum enim *Ecclesia* sit *columna, & firmamentum veritatis*, *c* quotiescunque aliqua nascebatur in Ecclesia hæresis, continuo ejus authores ab aliis redarguebantur

*a* Capit. 34. *b* in Pravila pag. 490.  
*c* 1. *Timoth.* 3. 15.

ebantur Orthodoxis, qui non resipiscientes juxtà Domini mandatum tradebantur Concilio, hoc verò eos adhuc resistentes tradebat anathemati. *a*

Et quamvis hæresiarchæ, qui in hac illavè orbis parte degebant, jam hæc, jam illa docentes, ut Iconoclastæ, & cæteri simul, omnes Fidei Articulos confessi fuisse deprehendantur; hanc tamen cum ROMANA Ecclesia *UNITATEM* nullus uspiam fuit professus: neque enim unquam quisquam hæresim instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ universitatis, & antiquitatis consensione, suiquè Pastoris communionem discreverit; & idcirco etiam hæreticus, vel de hæresi

B 6

suspectus

*a* *Mathei* 18.16.17.

suspectus est, quisquis non à Patriarcha modò , verùm etiam à solo suo Legitimo Antistite descivit. Sic de eo, qui à Patriarcha se separat, ait Pravila: *qui detraxerit Patriarchæ palàm, aut clàm, is non solum excommunicabitur, & de gremio Ecclesiæ ejicietur, & honorem ammittet; sed & ut hæreticus pœnis subjacebit, a* ii autem, qui ab Orthodoxo suo Episcopo, ei detrahentes, & se se justificantes discedunt, Fidei per hoc contrarium agunt, *b* iisque veluti hæreticis ter anathema dicitur; *c* & si hi sacerdotii characterè insigniti fuerint, ea, quæ ligant, aut solvunt, illegalia sunt. *d*

Hanc

*a Prav. cap. 112. §. 5. b Conc. Carth. can. 10. c Conc. Gangrense pag. 47 5. d Conc. Carth. can. 43. pagina 307.*

Hanc Sacræ *UNIONIS* Professionem alienam omninò esse ab omnium hæreticorum professione ipsa etiam Ecclesia ostendit, dicens: *Lætetur simul cum Angelis nos homines spiritualiter gaudentes: nam Gabriel iterum annunciat Ecclesiæ UNIONEM, & subversionem omnis, quæ ei opponitur hæresis. a*

Hæc cum ità sint, quemadmodum pro Sacrarum Imaginum cultu olim Sanctus dixit Methodius, *b* ità nunc de hac *UNIONE* verè dici potest: quòd MILLE SEPTINGENTI & quid amplius anni sint, ex quo Sacra Fidei *UNIO* cum Ecclesia ROMANA per orbem annunciat, & S. Ecclesiæ Patres, sive ad Concilia confluentes, seu

B 7

privatim

*a in Meneis 8. Nov. Ode 1. b Dom. 1. Quatrageſimæ in Synaxario.*

privatim pro Sacris Dogmatibus quidpiam scribentes eidem nunquam detraxerunt, sed semper eam venerati sunt, approbârunt, & professi sunt, idcirco nostra quoque in TRANSYLVANIA Ecclesia eandem profitetur.

Per *UNIONEM* porro Fidei cum Ecclesia ROMANA (uti & alibi dictum est) non intelligitur Legis, seu Rituum ab Ecclesia approbatorum permutatio, sed quemadmodum sæcularis, & Religiosus in Fide *uniti*, sum quisque custodiens institutum, se neuter ab eodem dimotum iri metuit, nec duo, pluresvè diversæ speciei in eodem trunco inserti rami, ejusdem speciei folia, & fructus producere vi ulla impelluntur: ita nos cum Ecclesia ROMANA in Fide *unitos* eandem in jejuniis, ritibusquè cæteris

cæteris observare Legem nulla cogit necessitas: hæc de *UNIONE* Fidei.

**S**ECUNDÒ: animadvertentes ad tribulationes, ut in corpore cruciatus, in nomine infamiam, in bonis jacturam, quæ ob prædictæ Fidei Confessionem nobis inferuntur, credere omninò debemus Chariffimi, ea nobis à DEO proficisci, ut Magnus docet BASILIUS: *a quia nobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credamus, sed ut etiam pro illo patiamur, idem certamen habentes. b* & sanè sine capillus de capite nostro sine Patris nostri Cœlestis voluntate peribit, ut Dominus promittit, *c* quis tam incredulus invenietur, qui sibi persuadeat  
deat

*a* Reg. mor. 55. *b* Philip. 1. 29.

*c* Luca 21, 18.

deat, à quoquam nobis citrà DEI voluntatem posse noceri?

Oportet itaque nos exemplo iusti Job in patientia perseverantes esse, nec adversùs iusta DEI iudicia accusare: cùm enim in manu DEI simus, sicut lutum in manu figuli, *a* quis dicere audebit: cur me ità fecisti? Etsi *impìus* censetur, qui dicit *Regi apostata*, *b* quanto magis impius erit, qui divina accusabit iudicia?

Ideoque priùs nos oportet in omnibus DEO gratias agere: *hæc enim est voluntas DEI in Christo JESU in omnibus nobis. c non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, d omne gaudium, existimantes, Fratres*  
*cum*

*a Fer. 18. 6. b Job. 34. 18. c 1. Thes- sal. 5. 18. d Rom. 5. 3.*

cum in tentationes varias inciderimus, a quemadmodum Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. b & ipsa quoque confitetur Ecclesia, quod passiones hujus corporis gaudium sint servis DEI: c id enim, quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostrae, supramodum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. d

**T**ERTIO: animadvertentes, per quos ministros nobis tribulationes inferuntur, ne adversarius noster in id nos inducat, ut perversè de his judicemus, meminisse oportet scriptum

a Jacob. 1. 2. b Actor. 5. 41. c in Oratine ad Nocturnum Sabbath. d 2. Corinth. 4. 17.

ptum esse : ne malum pro malo reddamus : *a* immò verò ut diligamus etiam inimicos nostros, beneficiamus his, qui oderunt nos, ut docet Dominus : ut simus filii Patris Cœlestis. *b* Id quod etiam lubentes præstabimus, si ritè perpenderit, quòd etiam *bestiæ ipsæ benè de semeritos naturaliter diligant, & quid tandem est, quòd ab amico magnum adeò beneficium possit proficisci, quantum est illud, quod ab inimicis nobis datur? quorum operâ fit, ut beatitudinem illam assequamur, de qua loquens Dominus ait: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum adversum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam*

*merces*

*merces vestra copiosa est in Cælis: a*

**Q**uartò: animadvertentes ad majores hujus mundi Potestates, quas Dominus, *ut in terra regnarent*, justum censuit, *b* si speratum ab his non illicò obtineamus auxilium, & consolationem, meminisse debemus, quòd Dominus sit, *qui dat Regibus nostris potestatem, c* & in cujus manu, sicut divisiones aquarum, ità sit *cor Regis*, quocunque voluerit, *inclinabit illud; d* & quòd ipse loquatur *ad cor Regum bona pro Ecclesiis sua, & universo populo suo, ut in tranquillitate ipsorum quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & honestate: e DEUS est enim*

*a S. Basil. Reg. brev. 176. Math. 5. 11.*

*b Idem in Lyturg. c in Can. Epiph. Ode*

*3. d Prov. 21. 1. e S. Basil. in Lyturg.*

*nim, qui operatur in omnibus & vel-  
le, & perficere, pro bona voluntate; a  
& idcirco priusquam DEUS hos non  
inclinat, ipsi ad succurrendum non  
moventur.*

Itaque hinc quoque invigilandum  
est, ne quis à diabolo deceptus, hos  
quoquomodo ore, vel corde accu-  
sare præsummat; nam iterum scri-  
ptum est: *Diis non detrahes, &  
Principi populi tui non maledices: b*  
cùm enim sint electi DEI, *quis ac-  
cusabit adversum eos? c*

Et quoniam *arma militiæ no-  
stræ non carnalia sunt, d* sed spiritua-  
lia: ille videlicet, *qui secundum do-  
ctrinam est fidelis sermo: e ut Fides  
nostra non sit in sapientia hominum,  
sed*

*a Philip. 2. 13. b Exod. 22. 28. c Rom.  
8. 33. d 2. Cor. 10. 4. e Tit. 1. 9.*

*sed in virtute DEI. a* Ideò etiam Sa-  
cro-Sancta Concilia providè sanxe-  
runt: ut in ejusmodi Ecclesiarum  
oppressionibus magna circumspectio-  
ne à Regibus necessarium postule-  
tur auxilium, & protectio: sic Car-  
thaginense in Právila censuit, ut Do-  
natistæ schismatici ab orthodoxis An-  
tistitibus, *de omnibus, quæ in Právila,  
& alibi habentur, edoceantur, qui sic  
admoniti, nisi resipuerint, postulata  
Imperiali manu priventur Ecclesiis,  
quas usurpant. b*

**D**Emùm nobisipsis attendentes,  
quamvis fortè innocentes nobis  
ipsis videremur, (quod tamen de se  
sentire quis aufit, sciens Vas electionis  
Paulum de se dicere; *nihil enim mi-*  
*hi*

a 1. Cor. 2. 5. b Con. Carth. can. 95.  
75. Conc. Antioch. can. 11. 18.

hi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est a) necesse est, ut nos probent tentationes, scriptum enim est: quod & omnes, qui pie volunt vivere in Christo IESU, persecutionem patientur. b) sic Tobia dictum est: & quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te. c) & amplius: etiam ipsum Christum Dominum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. d) & nos debemus sequi Christum in passionibus; quia Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius: e) injuriis namque, calumniis, & opprobriis, & aliis molestiis, quas propter DEUM patimur, vita, que  
 secundum

a 1. Cor. 4. 4. b 2. Timoth. 3. 12. c Tob. 12. 13. d Luc. 24. 26. e 1. Petr. 2. 21.

*secundum DEUM est, insignitur. a quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI. b multæ enim sunt tribulationes justorum; c verumtamen non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. d*

Cum autem, teste D. Jacobo in multis offendamus omnes, e quem, admodum etiam in Officio B. Virginis orantes, dicimus: *Libera nos ab incurſu gentilis ſervitutis, & ab omnibus aliis flagellis, quæ immittuntur delinquentibus pro multitudine peccatorum. f & alibi orantes confitemur: quòd in veritate, & in judicio*

*a in Collat. habit. Monast. b Act. 14. 21, c Ps. 33. 20. d Rom. 8. 18. e Jac. 3. 2. f Offic. maj. B. V. Akathist. Ode 9.*

*cio induxerit omnia hæc super nos propter peccata nostra; a ideò etiam si non visitaret nos DEUS, nos ipsi DEI deberemus exoptare visitationem, & judicia, ut Sanctus docet Chrysostomus: b dum enim judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur: c & sic per ea in hoc mundo à peccatis purgamur, ut habetur in Theologia Patrum. d*

His itaque ritè perpensis unum nobis est necesse Charissimi, ut omnem nostram eò convertamus, & dirigamus operam, ne nos ulla in re nostra condemnet, conscientia; velutì qui aliquod vel ex minimis Domini mandatis transgressi fuerimus, aut neglexerimus; sed in omni-

*bus*

a Dan. 3. 28. b in Margarit. Serm. 9.

c 1. Cor. 11. 32. d in Pravila, cap. 48.

bus summentes scutum Fidei, in quo  
 possimus omnia tela nequissimi ignea  
 extinguere, & exhibeamus nosmetipsos  
 sicut DEI ministros, in multa pacien-  
 tia, in tribulationibus, in angustiis,  
 &c. *b* DEO ex toto continenter de-  
 dicati adhareamus; spiritum immacu-  
 latum custodientes, a malo per omnia  
 declinantes, bona operantes, mente in-  
 cum assiduo ad bona desiderio syn-  
 ceram habentes; carnem verò ab iis,  
 qui res lege vetitas faciunt, sub-  
 trahentes, & in iis, quæ DEO gra-  
 ta sunt sollicitè, semperquè exer-  
 centes, ut Magnus docet BASILI-  
 US. *c* Quòd si DEO placuerit, ut  
 pro iustitia tribulationes quoque su-  
 lineamus; tunc tales nos exhibebi-

*a* Ephes. 6. 16. *b* 2. Cor. 6. 4. *c* Re-  
 gula brev. 53.

mus, quales nos esse divinus vult Paulus, in omnibus nempe *sicut DEI ministros in multa patientia.* *a*

Fide quidem ad DEUM accedentes indubiè credere debemus: quòd DEUS possit, & nos re ipsa curabit, *b* ille enim nobis promittit, dicens: *omnia, quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* *c* quæ autem dicuntur à Domino, omnem excludunt dubitationem, & hæsitationem, & *verissimum tenere debemus, quòd ea fieri possint, licet natura ipsa videatur repugnare, quando in hoc Fidei conatus declaratur, ut exemplo Divi Petri Sanctus docet BASILIUS. d* & legitur in Evangelio, qui jussu Domini

*a* 2. Cor. 6. 4. *b* Math. 9. 28. 29.

*c* Marc. 11. 24. *d* Reg. mor. 8.

Domini sicco pede ambulabat per mare, *a* & quantumvis ipsa ratio proprii consilii contrarium nobis diceret, in ea tamen nullo modo niti debemus, ut iis Fidem derogemus, quæ à Domino dicuntur, majoremquè debemus auctoritatem verbis Domini, quàm ulli quantumvis animi nostri certissimæ expletioni; ut idem docet S. BASILIUS ejusdem S. Petri exemplo, *b* qui proprii animi consilio etiam mori pro Christo paratus, eadem nocte ter Christum negavit, *c* ideòquè etiam Domini discipuli in carne ambulantes non secundùm carnem militabant, sed omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI, in captivitatem redige-

C 2

bant

*a* Math. 14. 29. *b* Regul. moral. 8. cap. 3. *c* Math. 26.

bant omnem intellectum in obsequium Christi, a immò nec ad naturæ quidem difficultates, aut impotentiam respicere debemus, sicut nec Abraham cogitavit naturæ impotentiam nascendi contra divinam promissionem: *scilicet* *Et de immobilis permansit, & à DEO, qui, quæ sua sponte fieri non possunt, ut fieri possint, facit, promissionem obtinuit, b ubi enim vult DEUS superatur natura vires. c*

Spe autem DEO adherentes omnem curam nostram super eum jacere debemus, *d quoniam ipsi cura est de nobis, e nihil prorsus mentientes*

a 2. Cor. 10. 5. b Gen. 17. S. Bauhius *Constit. Monast.* 2. c *Othoich ton.* 7. *Sabbath. ad Vesper.* d *Psalm.* 54. 23. e 1. *Pe. r.* 5. 7.

ruentes, aut solliciti, vel divinum  
 desperantes auxilium quotiescunque  
 nos in aliquod incidisse periculum  
 contigerit; *sed* *confidere* potius de-  
 bemus *tanquam* *presente* *Domino*,  
 & *rebus* *nostris* *omnibus* *consistente*,  
 & *nos* *ad* *omnia* *confirmante*, ipsoque  
*ad* *Spiritu* *Sancto* *omnia* *docente* &  
*quemadmodum* *etiam* *ipse* *Domini-*  
*us* *mandat* *dicens*; *Nolite* *timere*  
*eos*, *qui* *occidunt* *corpus*, *animam*  
*autem* *non* *possunt* *occidere* . . . non-  
*ne* *duo* *passeres* *asse* *vaneunt*, & *unus*  
*ex* *illis* *non* *cadet* *super* *terram* *sine*  
*Patre* *vestro*? *vestri* *autem* *capilli*  
*capitis* *omnes* *numerati* *sunt*, *nolite*  
*ergo* *timere*: *multis* *passeribus* *melio-*  
*res* *estis* *vos*. b

C 3

Fide

a S. Basilii Regul. moral. 63.

b Matthai 10.28.29.

Fide proindè, & Spe ita firmati DEUS  
 INSTANTER in cordibus nostris invo-  
 care debemus: ait enim Dominus:  
*vigilate, & orate, ut non intretis in  
 tentationem, spiritus quidem prom-  
 ptus est, caro autem infirma, a &  
 gaudete: Dominus enim propè est, b  
 & est propè omnibus invocantibus  
 eum, c multæ enim sunt tribulati-  
 ones justorum, & de omnibus his li-  
 berabit eos Dominus; d fidelis autem  
 DEUS est, qui non patietur nos ten-  
 tari, supra id, quod possumus, sed  
 faciet etiam cum tentatione proven-  
 tum, ut possumus sustinere, e sic-  
 què cum Apostolo dicere poterimus:  
 in omnibus tribulationem patimur, sed  
 non angustiamur: aperiimur, sed non  
 destitu-*

a Math. 26. 41. b Phil. 4. 5. c Psalm.  
 144. 18. d Ps. 33. 20. e 1. Cor. 10. 13.

destituimur, a quasi morientes; & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. b

Hic adducta Charissimi, ubi omnia studiosè legetis, & relegetis, magnum sanè in tentationibus, quæ vobis ingruere possunt, sublevamen, consolationem, & auxilium invenire poteritis, quæ si opere quoque præstiteritis; non solum hujus temporis tentationum adinventiones veritati contrarias mente assequi, eorumquè dolos facilè evitare, sed & cætera DEI, & Ecclesiæ præcepta promptiùs exequi poteritis.

Et nec soli hæc, uti ex Scri-

C 4

pturis

â 2. Cor. 4.8. b *ibidem* 6.9.10.

pruris divinitus inspiratis, collecta  
 sunt, venerabimini, opereque adim-  
 plere satagetis: sed & iis, qui ten-  
 tationibus hujus sæculi victi à vero  
 decidissent, & ab ejus confessione de-  
 fecissent nota facere omninò stude-  
 bitis: ut & ipsi hujusmodi Scriptu-  
 ris, illuminati periculum in quo ver-  
 santur agnoscant, scriptum est enim:  
*qui me confessus fuerit, & verba mea  
 in generatione ista adultera, & pec-  
 catrice: & Filius hominis confitebi-  
 tur eum, cum venerit in gloria Patris  
 sui cum Angelis Sanctis: a qui autem  
 me erubuerit, & meos Sermones, hunc  
 Filius hominis erubescet; cum vene-  
 rit in majestate sua, & Patris, & SS.  
 Angelorum. b* Et sic dum tempus  
 adhuc

a Marc. 8. 38. Matth. 10. 32. b Lu-  
 ca 9. 26.

adhuc habent, refipiscant, & convertantur: horrendum enim est incidere in manus DEI viventis. a

Quapropter nos Fratres Charissimi tantam habentes impositam nubem testium, b eorum, quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus, c deponentes omne pondus, & circumstantis nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem Fidei, & consummatorem IESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dextera Sedis DEI sedet; d adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, Dilectissimi, cantan-

a Hebr. 10. 31. b Hebr. 12. 1.

c Rom. 15. 4. d Hebr. 12.

*cantantes, & psallentes in cordibus  
nostris, a atque dicentes: nobiscum  
est DEUS, sapite gentes, & subjici-  
amini, quoniam nobiscum est DEUS:  
DEUS virtutum adsis nobis, quoniam  
præter te aliud auxilium in tribula-  
tionibus non habemus: DEUS virtu-  
tum miserere nobis: b ut misericor-  
diam consequamur, & gratiam inve-  
niamus in auxilio opportuno: c*

*Gratia cum omnibus vobis.*

A M E N.



*a Ephes. 5. 19. b in Complet. Quadrag.*

*c Hebr. 4. 16.*

APPEN-



## A P P E N D I X.

Ordo hyerarchiæ Ecclesiasticæ, qui in Corpore utriusque Juris vulgo Prævila Tergovisti in Valachia Annô 1652. Typis edita, omnibus Ecclesiarum Rectoribus quovis tempore observandus proponitur. pagina 407.

*Ordo præsidendi, seu præcedentiæ Dignorum Patriarcharum, & Metropoleon, & Archi-Episcopatum, qua inveniuntur usque in hodiernum sub Imperio Constantinopolitano.*

CAP. 391. ROMA, Constantinopolis, Alexandria, Antiochia, Hierosolima, qua dicitur Elias.

*Metropoles sunt hæ.*

*Cæsarea 1. Ephesus 2. Heraclea 3. sequuntur cæteræ, quibus pag. 402. adjicitur: Episcopi Principatus Transsylvaniæ*

*Sylvania ex Regno Hungariae.*  
 pagina 415. *Qualiter scribunt Archi-*  
*Praesules PAPÆ ROMANO.*

CAP. 395. ROMANO: *Beatissimo, ac*  
*Sanctissimo, & coequali Angelis: in*  
*Christo Patri Patrum: & Rectori o-*  
*mnium verarum Apostolicarum Ec-*  
*clesiarum, tanquam servi tibi pro-*  
*cidimus, exosculamur vestigia pedum,*  
*Magnitudinis, & Summe Sanctitatis*  
*tuae Potestatem, & Dominatum.*

*sequuntur: Constantinopolitano, Ale-*  
*xandrino, Antiocheno, Hierosolimita-*  
*no, Ocridensi.*

Libri etiam à non-unitis rece-  
 pti, qui in hoc Opusculo recitantur,  
 sunt hi: Biblia Sacra Bukurestini in  
 Valachia Annò 1688. Corpus Juris  
 vulgo Pravila Tergovisti 1652.

Mænologium Rimnikii 1737. Tri-  
 odion

† ( 61 ) †

odion Bukurestini 1747. Pentecostation Rimnikii 1743. Oeichos ibidem 1750. Horologion ibidem 7253. Sacrae Lyturgiae Bukurestini 1747. Margaritum S. Joan. Chryso- stomi Bukurestini 1691. Vita San- ctorum Jassii in Moldavia 1682.

Item hi Latinè tantum editi.


S. Leo Papa. S. Basilus Magnus.

S. Vincentius Linensis. S. Theo- dorus Studites.



M. TUD. AKADEMIA KÖNYVTÁRA

Könyvtelt. 10. 836/196 4. sz







12





